

Ego sum, qui nullius vim plus valere volui, quam honestum otium, idemque, cum illa ipsa arma, quae semper timueram, plus posse sensi, quam illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram, quavis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare. Sed et haec, et multa alia coram brevi tempore licebit: neque me tamen ulla res alia Romae tenet, nisi exspectatio rerum Africanarum; videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. Puto autem mea nonnihil interesse, (quamquam id ipsum, quid intersit, non sane intelligo): verumtamen quidquid illinc nuntiatum sit, non longe abesse velim a consiliis amicorum. Est enim res ipsa jam in eum locum adducta, ut quamquam multum intersit inter eorum causas, qui dimicant; tamen inter victorias non multum interfuturum putem. Sed plane animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum; quem etiam superiores tuae litterae confirmarunt: quibus intellexi, quam fortiter injuriam ferres; juvitque me, tibi cum summam humanitatem, tum etiam tuas litteras profuisse. Verum enim scribam, teneriore mihi animo videbare, sicut omnes fere, qui vita ingenua, in beata et libera civitate viximus. Sed ut illa secunda moderate tulimus, sic hanc non solum adversam, sed etiam funditus eversam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc sic adfecti non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruire isto otio, tibi que persuade, praeter culpam ac peccatum, quo semper caruisti et carebis, homini accidere nihil posse, quod sit horribile aut pertimescendum. Ego, si videbitur recte fieri posse, ad te veniam brevi: si quid acciderit, ut mutandum consilium sit, te certiore faciam statim. Tu ita fac cupidus mei videndi sis, ut istinc te ne moveas tam infirma valetudine, nisi ex me prius quaesieris per litteras, quid